



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 30. De confirmatione utili vel inutili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

quoad articulos seu articulum, super quibus vel super quo appellatum est, sic etiam nihil innovandum est in rebus ejus, qui Romam proficiscitur ad Sedem Apostolicam: adeo ut quodquid post arreptum iter ablatum vel subtractum fuerit, ei restitui debeat. Nec solum vim appellationis habet hujusmodi itineris arreptio, sed etiam relevat ab onere petendi apostolos, ut ex Innoc. refert & sequitur Ancharanus, in cap. 6. num. 3. nos ab. 4. De appellatione in 6.

Dixi, post motam causam: quia itineris arreptio ad Papam ante ceptam causam non habet vim appellationis: quamquam, si ex justa causa facta fuerit, suspendat jurisdictionem inferioris Judicis, & tuncatur eum, qui ipse proficiscitur, non vero eum, qui nuntium mittit. Scaccia quaest. 6. num. 43. Ubi subjungit non habere quoque vim citationis, si fiat, postquam fuit citatus vel habuit notitiam litterarum, quas adversarius impetravit à Papa, per c. Meminimus 9. & cap. Suggestum 15. sup. de appellatione.

TITULUS XXX.

De confirmatione utili vel inutili.

1. Confirmatio ex certa scientia est utilis.
2. Subreptitè vel obreptitè obarsa est inutilis.


Postremo postquam visum est de suspensione sententiae seu jurisdictionis judicis à quoque fit beneficio sive appellationis, sive peremptionis, dicendum quoque est aliquid de confirmatione, cum contingat sententiam, à qua appellatum est, seu processum judiciale non semper retractari à superiore Judice, sive is summus Pontifex sit, sive alius, ad quem appellatum est, sed subito confirmari, ut cum pronuntiat, bene judicatum & malè appellatum.

1. Multum autem interest, an aliquid com-

firmetur à summo Pontifice, an ab alio inferiori. Nam quod Pontifex ex certa scientia confirmavit, sive sit sententia, sive arbitrium, sive privilegium, sive quid aliud, s. Cum dilecti 4. & penult. hoc tit. Illud firmum manet, nec mutari vel de eo per inferiorem aliquem amplius cognosci potest, nisi ex speciali Pontificis mandato, c. 1. & 2. hoc tit. cum jure tribuat illi, cujus negotium confirmatum est, d. c. penult. & hæc dicitur utilis confirmatio, Sic in c. Vi nostrum 56. sup. de appellatione. habetur, quod, postquam Papa revocavit ad se negotium aliquod, ita ligentur manus inferiorum, ut nihil ulterius validè in eodem negotio per eos fieri possit.

2. Dixi, ex certa scientia: nam si confirmatio fuerit obtenta per subreptionem vel obreptionem, tum quilibet Judex inferior, modò sit competens, de ea cognoscere potest, c. Bona memoria, c. Ad nostram, c. Porrecta, c. Examinata h. s. quia quod summus Pontifex, re non satis cognita, prout se habebat, sed vel narrato falso, vel vero suppresso, confirmavit, non intelligitur confirmasse: quia si rem plenè intellexisset, non fuisset confirmaturus, c. Super litteris sup. de rescriptis. Hinc si Religiosus impetraverit à summo Pontifice confirmationem super administratione temporali, subreptitè quod esset Regularis, ea tanquam subreptitè non valet: si vero id ipsum expresserit, rescriptum præsumitur falsum, quia summus Pontifex non consuevit tale quid concedere, d. s. Ad nostram, & d. s. Porrecta. Et hæc dicitur, confirmatio inutilis: quia licet non statim sit ipso jure nulla, tamen per exceptionem repellitur, secundum ea, quæ supra diximus. Tit. De Rescriptis. De confirmatione contractuum

& privilegiorum, quid ea operetur, & quando tribuat novum jus, vel non, vide Gail. lib. 2. Obs. 1. per totam.



Finis Libri Secundi.

PARA-